MATRIMONIUM

RESPECTU POLITICO - MEDICO.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS, AC DIRECTORIS,

SPECTABILIS DOMINI DECANI,

NEC NON

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDA

IN ALMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE HUNGARICA

CONCINNAVIT

GEORGIUS MALÁCH,

ESSEKINO - VERŐCZENSIS.

heses adnexae defendentur in Palatio Universitatis.

PESTINI, 1844.

TYPIS TRATTNER - KÁROLYIANIS.

IN PLATEA DOMIN. N. 453.

PARENTIBUS OPTIMIS

GRATISSIMUS FILIUS.

Unus quisque suam uxorem habeat; et una quaeque suum virum.

S. Paulus I. ad Cor. 7.

Naturae universae Auctor providentissimus morti quidem obnoxium condidit genus humanum; ne tamen nobilissimae huius speciei duratio unius aevi spatio exstingueretur, eidem discrimine sexus, et naturali facultate semet propagandi, ut aliis animalibus — indendo sexui utrique vehementem unius ad alterum propensionem, et acres stimulos ad prolem procreandam, — sapientissime prospexit. Interim tam leges morales, quam positivae volunt, ut cives mediante matrimonio, modo et ordine, quem natura ipsa praescripsit, debitum et legitimum faciant facultatum sexualium usum; omnis alius harum facultatum usus, est abusus rectae rationi e diametro oppositus, naturam rationalem turpiter dehonestans, ipsique saluti publicae Civitatis damnosus, et exitialis, quod moralitatem, educationem civium, frequentiam connubiorum, sine quibus felicitas civilis consistere nequit, summopere labefactet, et corrumpat.

Matrimonium igitur ex natura sua est: *Societas maris et foeminae, mutuo consensu, procreandae et educandae sobolis causa, legitime inita.* — Primarius adeoque finis matrimonii est: *propagatio speciei;* secundarius autem: *mutuum adjutorium*, quod sibi conjuges praestare tenentur. Denique in hoc statu naturae lapsae Matrimonium est: *praesidium* adversus periculum fornicationis, et *remedium* concupiscentiae.

Quamvis vero negari haud possit, quod tractatus de Matrimonio majori ex parte in forum scientiarum politico-moralium relegandus sit; cum tamen haec etiam institutio, quemadmodum omnes aliae hominem concernentes, habeat relationes pure physicas, quibus omnes

fere politicae et morales tamquam fundamento innituntur: minime dubitaveram objectum hocce in Thema Dissertationis meae convertere. Ex notione etenim organismi humani hausta principia in consilium erant vocanda, ut plura legislationis puncta recte stabiliantur, vel vero ut latae hoc respectu leges, in singularibus quibusdam casibus in effectum deducantur. — Etiamsi vero leges istae pro variis temporum adjunctis, apud diversos populos, diversas subiverint modificationes; neutiquam tamen adeo perfectae adhuc sunt, ut omnibus physicis Matrimonii exigentiis ex asse respondeant. Consentaneum itaqe videbatur mihi ante omnia in individuales conjugum relationes, abstrahendo ab omnibus politico-civilibus adplicationibus, iuxta principia Medicinae inquirere; sic enim facilius dein perspicietur, quae respectu hoc recte, quae erronee legibus stabilita fuerunt. —

Exponere velle emolumenta, imo neccessitatem, ex institutione conjugali profluentia non minus superfluum foret, ac quaerere: Matrimonium in sanitatem, vitaeque humanae durationem salutarem exeratne influxum? cum quaestio haec sensu etiam medico utique non aliter, quam affirmando resolvenda esset. Omnia recensere, quibuscum matrimonium in statu nostro sociali complicatum incedit, huius nequaquam est loci, inque sphaeram aliarum pertinet scientiarum. Brevibus adeoque hic ea solum attingam, quae respectu hoc directe e medicina profluunt.

Conditiones physicae, quibus ex parte conjugum satisfaciendum est, referuntur: 1-o *Adimpletionem functionum et officiorum, quae matrimonium exigit;* 2-o *Ad conservandam sanitatem conjugum in medio relationum ad invicem.* 3-o *Ad constitutionem prolium, quae e copula eorundem procreandae erunt.*

1-o Naturalem matrimonii finem respiciendo, ante omnia actum generationis concernentes facultates con-

siderandae veniunt. Hoc respectu ex adjunctis, in facultates has immediate influentibus, *Aetas*, qua Matrimonium contrahendum est, et *favorabilis illa*, pro diversis, quibus generalis in utroque sexu absolvitur, actibus, *constitutio generalis, et anatomica organorum genitalium dispositio*, magis prae ceteris animadvertantur velim.

Corpus humanum evolutionem illam, et robur, qua praesente viro et foeminae concessum est, deliciis matrimonii constantius quodammodo, semper tamen cum certo moderamine, semet dedere, communiter superatis nonnisi aliquot post pubertatem annis, adipiscitur. Foeminae in specie longe serius post periodum pubertatis illam nanciscuntur constitutionem, cuius auxilii incommoda et pericula graviditatis, partus et lactationis facilius eludere valeant.

Pubertas, quae pro diversitate Climatis, iam citius, iam serius subintrat, apud nos, regionis temperatae incolas, communiter anno aetatis 13—14 in foeminis, 14—15 in viris semet insinuat; evolutio attamen perfecta omnium organorum, in prioribus 21, in posterioribus 25 tantum anno terminatur. Auctores ecquidem nonnulli pubertatem, seu repentinam illam revolutionem, quae certa aetate in juvenibus sexus utriusque ingruit, erronee pro signo maturitatis, capacitatisque generandi assumunt; phoenomena etenim haec non aliud sunt, quam praenuncii organicae cuiusdam dispositionis, quae formari incipit; jam vero haec non subito illum assequitur evolutionis gradum, qui necessarius est ad id, ut fungendis omnibus suis muniis idonea reddatur. — Observemus enim quaeso adolescentes sexus utriusque, etiam optime constitutos, periodum hanc vitae suae vix transgressos, et de veritate huius asserti facile convincemur; concessus enim his constantior, fervidiorque coitus, nonnisi cum maximo sanitatis illorum detrimento conjunctus esse potest. Activitas, et energia illa organica,

per diversos generationis actus excitata, incremento, quo omnes organismi partes summopere adhuc egent, nonnisi noxia esse valet. Aliud non minus triste consectarium praematuri huiusmodi conjugii, ut paulo infra patebit, foret debilis, infirmaque progenies. —

Silentio tamen haud praeterire possum, quod in praesenti nostro sociali statu consultum saepe sit foeminis, favorabilem illam, paulo ante allatam, aetatem non exspectare. Praescindendo etenim ab eo, quod multae longe celeriùs gradum illum perfectae evolutionis attingant, videmus etiam non paucas, praesertim in majoribus civitatibus mature admodum stimulis sexualibus exagitari, hosque per adjuncta, in quibus vivere coguntur, adhuc magis excitari non raro ita, ut si stimulis his non satisfiat, jam majora, jam minora constitutioni illarum detrimenta immineant. Non exiguus certe est numerus illarum puellarum, quae paulo ante florentes, roboreque musculari excellentes, etiamsi forte optimam nactae fuere educutionem, superato vix anno aetatis 18 vel 19 omnem splendorem, colorem, venustatem, vivacitatem omittant, pallidae, totoque corpore languentes incedunt, copiaque illorum symptomatum nervosorum divexantur, quae hysteriam praecedere et comitari solent, quin tamen semper insultus illi convulsivi, morbum istum perfecte evolutum characterisantes, observentur. Harum igitur constitutio in locum ut robur majus acquirat, in deteriorem verget, ni tales puellae caûsis illis moralibus, quae in illas noxie influunt, mature subducantur.

Normalis conformatio organorum genitalium, utpote ad assequendum finem principalem matrimonii essentialiter necessarii maximam omnino exigit attentionem. Omnis enim abnormis partium harum dispositio, coitum, foecundationemque impediens, individua ad matrimonium contrahendum inepta reddit. Ex hoc ipso respectu etiam universalis constitutionis debilitas, morbi item nonnulli

sensus ingrate afficientes, stimulum sexualem supprimentes, ut impedimenta matrimonii considerandi veniunt. Cum vero ab individuis matrimonium contrahentibus, in societatem quam ingredi volunt omnia elementa felicitatis illius, ob quam conjugium initur, adferenda sint; moraliter autem inpossibile omnino sit, ut pars altera, de alterius statu organorum genitalium normali convincatur, id tamen de suo proprio faciat, est necesse.

Necessaria vero est similis investigatio imprimis tunc, ubi de normali pelveos conformatione in femina dubium exoritur; maximi enimvero interest scire: possitne partus sine auxilio artificiali, quod vitam tam matris, quam nascendae sobolis semper plus minus periclitatur, exantlari? Abnormis pelvis conformatio in foeminis imprimis rhachiticis est supponenda. — In foeminis rite conformatis pelvis certam formam, certas determinatasque habet dimensiones, quo igitur magis ab hoc typo pelvis aberrat, eo difficilior est partus. — In certo gradu angustationis pelvis, exitus foetus impossibilis evadit, sic v. gr. conjugata introitus ad pelvim — cuius angustatio freqentissimum conformationis pelvis vitium constituit, partumque quam maxime difficultat — minus quam 3 poll. aequat, consultum est matrimonium interdicere. Adducuntur quidem exempla foeminarum, quae non obstante eo, quod pelvis earum longe minorem dimensionem, v. gr. 2 ½ poll. in conjugata habuerit, partum tamen naturalem exantlaverint, casus attamen hi sunt admodum rari, partusque hic potissimum ob circumstantias non cum certitudine exspectandas, v. gr. ob exiguam molem corporis infantilis, inconsuetam symphisium laxitatem naturali perficitur modo; in plurimis tamen casibus similis abnormitas pelvis, sectionem caesaream, vel extractionem foetus ope instrumentorum laedentium, postulat. — *Foderé* strictus mihi videtur, dum foeminae cuivis, cuius pelvis in conjugata 4 poll. non aequat, matrimonium interdicit. Licet

enim partus sub minori hac conjugatae dimensione difficilis communiter esse soleat, naturali attamen potissimum perficitur modo.

Aliud momentum, quod graviditatem, partumque in bene etiam conformatis foeminis periculo plenum reddit, est aetas provectior. Omnes medici practici conveniunt in eo, quod foeminae, annis clymatericis proximae, conjugium ineuntes et prima vice concipientes, communiter abortum patiantur, omnibusque funestis partus difficilis consectariis prae aliis expositae sint.

2-o Diversi morbi, quibus alteruter conjugum laborat, plura etiam, ut jam supra, attigimus secum ferunt incommoda et detrimenta. Sed praescindamus quaeso pro momento, ab omnibus aliis respectibus, et consideremus morbos hos solummodo in relatione ad pericula, quibus iisdem affectus, relate ad eorum incrementum, per exercitium functionum sexualium provocatum, semet exponit, rationeque praejudiciorum, quae nonnulli ex his morbis parti non adfectae instillant. — In genere enim omnes inflammationes chronicae, omnes degenerationes textus cellulosi, febrim hecticam provocantes, per coitum exacerbantur. Phthisis, quae non raro vehementem oestrum venereum excitat, et cuius decursus durante graviditate saepe sistitur; cancer uteri, qui non semper conceptionem, evolutionemque foetus impedit, per exercitium functionum sexualium majora capiunt incrementa per coitum provocatus spasmus, hincque dependens major incitatio, adstrictio ad partum, possunt in personis hernia non reponenda, anevrysmate cordis vel vasorum majorum, aut affectione quadam morbosa encephali, quae in extravasatum, vel lethalem emollitionem disponit, laborantibus, subito mortem adferre. — Experientia docet, quod foeminae, morbosa quadam organica alienatione cerebri adfectae, repente sub ipso partu exspiraverint. Dantur denique adhuc morbi, qui per conjugium tolli, aut mitigari cre-

duntur, v. gr. Hysteria, Epilepsia, Morbi Animae; interim etiam isti saepe saepius hoc ipso modo magis adhuc exasperantur.

Mutuae relationes omnis generis, quae in matrimonio inter conjuges locum habent, hos periculo exponunt, ut in morbos, qui per contagium communicantur, aut nervosas quasdam affectiones, quae per imitationem propagantur, incidant. Quod vero hic loci solummodo de morbis chronicis, iisque talibus, quae liberum relinguunt diversis aliis vitae occupationibus pro lubitu vacare, sermo esse possit, suapte intelligitur. — De contagio plurium morborum, v. gr. Syphilidis, diversorum morborum cutaneorum, nullum superest dubium; multi tamen etiam injuste pro contagiosis declarantur, uti e. gr. affectiones scrophulosae, phthisis, morbus, cuius frequentia in nonnullis locis contagiosae solummodo illius proprietati a laicis adscribitur. Idem, ast non minus erronee affirmatur de affectionibus carcinomatosis. Etenim nec in casu intimi contactus cum partibus sic adfectis ullum subversatur periculum; sic carcinoma penis nequaquam tam frequens est, quam relate ad frequentem carcinomatis uteri esse deberet. Interim morbi etiam non contagiosi, per coitum frequentiorem cum persona adfecta, pro parte sana non sine funestis sunt consectariis. Morbi, qui per imitationem transplantantur, aut qui similes adminus nervosas adfectiones provocare valent sunt: Hysteria, Epilepsia, Catalepsia, Mania. Interim periculum hic tunc tantum subversatur, dum insignis dispositio nervosa, cum metu similes morbos contrahendi conjuncta, subversatur.

3-o Procreatio sanarum, bene constitutarum prolium felicitatem privatam familiarum roborat, sed et in emolumentum status publici cedit. Experientia autem comprobatum habetur, quod status ille physicus, in quo momento generationis parentes constituti fuerunt, in quove mater durante graviditate, et lactatione versa-

tur, in constitutionem sobolis maximum habeat influxum, huicque communiter omnes organicas dispositiones, imo non raro etiam vitia formationis, et morbos quibus recte affligitur communicet.

Determinare, quae ex parte sexus utriusque maxime favens sit pro conjugio constitutio, ut pulchra fortisque generatio oriatur, ac sustentetur, ad res omnino arduas pertinet. Omnia, quae scopo hoc hucadusque dicta fuere, plus minus hypothetica sunt. Essentialiora itaque solummodo momenta, quae in parentibus obvia constitutioni prolium communiter directe nocent, hic commemoranda erunt. — Supra vidimus quantum valeat, ut matrimonium justa ineatur aetate; idem valet de objecto nunc pertractando. Aetas tenera, in qua constitutio parentum nondum perfecte evoluta est non minus ac aetas provectior, qua eadem constitutio debilitatur, nonnisi infaustum in generandam sobolem possunt exerere influxum. Proles a similibus parentibus procreata debilis utplurimum constitutionis, omnibusque exinde promanantibus damnis sunt obnoxiae. Quod quidem si non semper obtineat, exinde repetendum, quod genita soboles parentis communiter melius constituti typum sequi amet. Disproportio aetatis conjugum, nisi magna sit, deleterie in sobolis constitutionem non influit. —

Vitia formationis, morbi dispositiones ad morbos possunt, ut jam dictum est, multis in casibus in soboles transplantari; nonnulli interim saltem morbi, et dispositiones morbosae, de quibus certo constat, quod haereditarie in proles transferantur, ut impedimenta matrimonii consideranda erunt. — Sic manifestae dispositiones in quasdam inflammationes, in rheumaticas, arthriticasque affectiones, in Lithiasim, Apoplexiam, Hypochondriam, Hysteriam, prolibus quidem facile, non tamen semper a parentibus communicantur, sed dantur praetera adversus plurima haec mala remedia tam prophylactica, quam sanantia efficacissima, ut adeo metus transplantationis horum morborum abstinentiam a matrimonio in-

jungere nequeat. — Vitia accidentalia formationis raro admodum e parentibus in proles transeunt; nec tamen desunt exempla, ubi deformitates certae in plures generationes propagatae fuerunt. — Idem de morbis mox enumerandi asserere, ratio, experientiaque vetat; horum enim facultas semet haereditarie propagandi evicta, sequelae autem funestissimae sunt, ut adeo summam mereantur attentionem. Huc referuntur: Mania, Cretinismus, Rhachitis, Epilepsia, et Scrophulae, quae multiplici sub forma se manifestant, et e quibus Phthisis frequentissimum, ac funestissimum est consectarium! In hanc seriem referenda est etiam Syphilis, quae certe in soboles transplantatur, etiam modus quomodo id fiat non semper pateat. Malum hoc, etiamsi sanari possit, est tamen semper, relate ad proles, fons plurimarum miseriarum. Magna hic exoritur quaestio, necdum perfecte soluta, solvenda fors tamen imposterum: An scilicet syphilis, nullo etiamsi symptomate amplius semet manifestans, adeoque, ut supponere fas est, perfecte sanata, proles illorum parentum, qui hoc morbo laboravere, in scrophulas, aliosque praedisponat morbos. — Plures id affirmant medici, interim argumenta ab his allata, et in simultanea syphilidis, scrophularumque frequentia radicata, non satis firma mihi videntur. Nequaquam tamen affirmare ausim, quod Syphilis antequam sanata fuisset, constitutionem individuorum laedens, malum hunc influxum exerere non posset. —

Interim non satis est liberos a parentibus procreatos fuisse sanos et robustos, sed ut et tales maneant curandum, hinc alendi sunt, atque educandi. — Eos proprio — si sana, firmaque corporis constitutione gaudeat — matris lacte esse nutriendos, non alienis uberibus tradendos, ipsa docet natura, quae mulieri dedit, quidquid ad munus illud requiritur. Praeterea matris non secus ac prolium interest, ut eos ipsa nutriat. Matris quidem, quae nisi id faciat, nimia affluentis lactis copia, graves

sibi morbos accersit. Interest etiam liberorum: namque magnam partem habet in corporibus animisque fingendis ingenium nutricis et natura lactis. Quod enim arbusculis contingit, ut scilicet ad mutandam earum indolem plurimum valeant aquae et solum, quibus nutriuntur, hoc multo magis in prolibus locum habet; si ergo frequenter accidit, ut arbor laeta et nitens, alium in locum translata, deteriori terrae succo depereat, non mirum est, si parentum sanorum liberi, neque corpore, neque animo his similes existant, cum ipsis plerumque adhibeatur nutrix vitiosa — Quantum prolibus noceat aliena nutritio, sic describit *auctor praedii rustici Lib. 2-o versus finem:*

„At puer ingenuus, qui sub laquearibus aureis
Exoritur, tristi patrios mutare Penates
Cogitur exilio, positoque puepera foetu
Foemina, dives opum, ventris cum pondere matrem
Exuit, atque boum mugitus inter, alendam
Rus aliquo sobolem domina proc ab urbe relegat:
Quaeque cani sugenda dabit, negat ubera nato:
Gibbere, distortis foedum vel cruribus, annos
Post aliquot, puerum recipit, quam plurima passum,
Non oculo vidit, non pectoris indice motu.“

Praeterea mulierum crudelitate, quae suos partus deserunt, et a se ablegant, interscinditur, aut certe quidem deteritur vinculum illud animi et amoris, quo Parentes cum prolibus natura colligat. Nam ubi amor sensim restringitur, ipsius quoque infantis affectus in ea sola conquiescit, cuius curis alitur, ac proinde, ut in pueris expositis usu venit, matris, quae illum genuit, vix ullus superest sensus, ullumque desiderium.

Denique ut respectu hoc parentes officiis suis omni ex parte satisfaciant, prolibus suis non modo alimenta praestare, teneros eorundem artus fovere, externas ab iis injurias abigere, atque adeo sedulam adhibere curam circa corpus, sed etiam solliciti sint oportet circa mentem et circa statum externum illarum, in eo

siquidem sita est recta prolium educatio, ut ita instituantur, educenturque a teneris, quo recte constitutioni ac felicitati generis humani inserviant, ac prosperae vitae conditio, et animi cultura eorundem promoveatur, quo idonea et utilia societatis humanae ac reipublicae membra evadant, suaque erga Deum, semet ipsos, et alios officia doceantur. Hinc *Juvenalis satyra* 4-a *inquit:*

„Gratum est, quod patriae civem, populoque dedisti,
Si facis, ut Patriae sit idoneus, utilis agris,
Utilis et bellorum, et pacis rebus agendis." —

Quamvis autem institutio conjugalis a legislatoribus omnium saeculorum, omniumque populorum maximi habita fuerit; nihilominus tamen non raro peculiaria, politica potissimum motiva, principiis e medicina desumtis, pauloque ante recensitis, e diametro saepe opposita fuere. Sic factum est, ut pro ratione temporum, regnorumque, nonnullae pro matrimonio necessariae dotes physicae, non secus ac licentia inita matrimonia solvendi, aut annihilandi iam ampliata, iam iterum arctioribus restricta fuerit cancellis. Ita v. gr. apud *Spartanos* audacia, virtus bellica civium principalem politicum meruerunt respectum. Viris tardius nonnisi, secundum relationem plurimorum scriptorum 37 tantum aetatis anno uxorem dueere concessum fuerat. Apud alias iterum nationes, v. gr. *Athenienses, Romanos,* qui in aucto civium numero felicitatem, potentiamque status publici reposuere, aut quia diversa adjuncta morum depravationem induxere, uti hoc versus finem Reipublicae Romanae evenerat, matrimonium a primis statim pubertatis annis licitum fuerat. Compertum porro habetur, qnod certis temporibus, viris non secus ac foeminis periodo illa, qua facultas generandi in iis jam jam exstincta credebatur, matrimonium inire lege vetitum fuerat. — Apud plurimos

populos ante inductam Religionem Christianam, prout et hodie apud illos, qui non eius sunt asseclae, ex principio politico-civili tantum considerabatur, et nunc quoque consideratur, divortiumque interpellare conjugibus non est vetitum. Apud hos impotentia, sterilitas in matrimonio acquisita, et sexcenta alia motivi instar serviunt ad conjugia dissolvenda. Sub influxu Religionis Christianae, quae ex matrimonio sacrum indissolubileque fecit vinculum, leges hae, et consuetudines fuerunt modificatae. Eo tamen ipso, quod praeceptis his novae legis, matrimonium in ligam perpetuam conversum fuerit, leges etiam omnes tam civiles, quam religiosae illud matrimonium, quod fine requisitis dotibus essentialibus consumatum fuerat, tanquam nullum considerent, imo considerare debeant. Hinc illae querelae de impotentia et sterilitate quibus Tribunalia obruuntur.

Impedimenta matrimonii, quae jure Ecclesiastico communi statuta, etiam in *Hungaria* obtinent, passim sequentibus versibus exprimuntur; et quidem *impedientia;*

Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Dirimentia vero:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si clandestinus, et impos,
Si mulier sit rapta loco nec reddita tuto.
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

Certum ceteroquin habetur ab omnibus, et cunctis, quae passim recensentur impedimentis, haec duo duntaxat esse juris naturalis: *errorem substantialem in persona*, ut si cui *Lia* pro *Rachele* obtrudatur; quia deest consensus mutuus; et *impotentiam physicam prolis generandae*, quia in his cessat finis con-

jugii. His accersenda venit *sanguinis conjunctio*, saltem illa primi gradus in linea recta eo, quod similis conjunctio pugnet cum conjugio, non quidem ex parte finis eiusdem, sed ex parte aliorum officiorum, filialium scilicet et paternorum, quorum cum conjugálibus confusio induci nequit. Certe gentes omnes, quae non penitus obbrutuerunt, a tali matrimonio semper abhorruerunt, qui utique horror non aliunde, quam ex rationis naturalis instinctu proficisci potuit, cum bruta, rationis expertia, nullum eiusmodi horrorem significent. —

Restat mihi adhuc pauca de *Unitate* matrimonii verba facere. Certum quidem est, unius cum una conjugium esse rectae rationi, atque adeo legi naturae maxime conforme, ob certitudinem prolis, ac parentum, proinde educationem illius securiorem. Certum item *polyandriam*, seu pluralitatem maritorum, esse et manere lege naturae absolute prohibitam; repugnat enim primario fini matrimonii, quippe qua generatim et foecunditas mulierum hebetatur, ut apparet in meretricibus, et prolis incertitudo inducitur, proinde cura educationis praecipua, quae Patri incumbit, penitus exstinguitur. Ad haec exemplum nullum exstat, quo unam uxorem, vel inter gentiles, pluribus aliquando maritis tempore eodem copulatam fuisse, constet. — *polygamiam*, seu pluralitatem uxorum respectu unius mariti, jure quidem naturali prohibitam non esse, constans gravissimorum auctorum est sententia, cui tamen adstipulari vetat id, quod educationi prolium magis per monogamiam, quam per polygamiam, consulatur; facile enim majore erga unam prae ceteris amore Pater ad contemtum, neglectum, quin etiam odium, et exclusionem prolium, ex aliis susceptarum, permoveri potest. Accedit, quod mutuae corporum traditioni adversetur; cum enim lex naturae pactum exigat aequale, et reciprocum, mulier vero nequeat jus in corpus suum pluribus, quam uni